

Plurimas tibi primum grates reddo quod volueris mihi nonnullarum stirpium vera nomina indicare, et deinde quod mei, et operum meorum in tuis operibus memoriam facere volueris. Mea flora pedemontana licet tabulae paratae jam sint nondum tamen lucem videbit, clinicis curis, lectionibus publicis, et adversa valetudine impeditus postremam huic operi manum adhuc admovere non potui. Confido tamen eam hoc anno sub praelo esse sudaturam, et vehementer opto jam publicam factam esse novam tui operis specierum plantarum editionem. Plusculas hoc anno detexi rariores stirpes nimirum Vallisneriam, Isnardiam, Pixidariam Lindernii, Thlaspidium raphani folio, Centaurium illud majus Tournefortii sub nomine Arctium in historia lugdunensi depictum, Bupleurum novum Gerardi, et alias non paucas. Pro certo habeas me tibi eas omnes reservaturum et misurum, quas tibi nondum visas ex tuis operibus colligere potero. Hac aestate plurimum laboris contuli digerendo in ordinem horto Taurinensi, et locupletando, qui mille circiter stirpibus auctus jam est. Omnes areolae, et singulae stirpes suis numeris signantur, ita ut edito denique catalogo commodissime discipuli sine etiam praeceptore stirpes cognoscere possint.

Dignus et eximius tuus discipulus Claudius Alströmer<sup>1</sup> aliquot hebdomadas Taurini commoratus est, mihique valde gratulor plurimam cum illo amicitiam iniisse. Commisi optimi hujus viri curae fasciculum rariorum stirpium, et semina nonnulla ad te mittenda. Schedulam mihi reliquit continentem semina a te desiderata. Dabo operam ut omnia obtineas. Nonnulla his literis includo, alia sequenti hebdomada mittam. Aegre admodum fero quod hoc anno licet omni adhibita cura semina moluccae frutescentis obtinere non licuerit.

Gratulor plurimum de Tui egregii Filii primitiis. Tanto sub Praeceptore, et Tanti Viri filius nequit non eximia cum Tempore praestare, et Patris celebritate dignus fieri. Ut meo nomine plurimam ipsi salutem dicas rogo.

Tuae generositati hortus regius meae curae commissus plurimum se tibi commendat, et ipse rogo ut seminibus rarioribus, quae tibi ad manus erunt in literis missis augere velis. Notulam addidi illorum quae minime germinarunt. Addo quoque indicem illarum stirpium suecicarum, quae adhuc in meo horto sicco desiderantur. Nolo quidem omnino te a gravioribus et utilissimis studiis remove, quamobrem te rogo ut per aliquem ex tuis discipulis velis dictarum stirpium sicca exemplaria mihi curare. Ego respondeam alpinarum et helveticarum speciminibus.

Vale in totius Naturalis historiae incrementum Vir Sapientissime, mihique porro favere pergas.

Dabam Aug.<sup>ae</sup> Taurinorum die 14<sup>a</sup> januarii 1763.